

ARTICULUS II.

DE PACTIS EXEMPTIONI VENDITIONI ADJICI SOLITIS; LEGIS COMMISSORIÆ; ADDICTIONIS IN DIEM; DE RETRO VENDENDO; ITEM DE JURE RETRACTUS.

§44. Dico I. Pactum legis commissoriæ licite omnino exemptioni venditioni adjicatur.

Prob. Nullo enim jure reprobatur, quin positive asseritur *L. 2. ff. de Leg. Commiss.* alias eodem, nec ex se adversatur justitiae; consistit enim in hoc, ut, si debitor non solverit, res inempta sit, h. e. reddatur res cum fructibus, in quo nihil iniqui est. Ut vero vi hujus pacti ipso jure resolvatur venditio, requiritur 1^o. ut pactum hoc (seclusa consuetudine forte contraria) venditioni adjiciatur in continentia; ac verbis directis, que ex sua significatio important resolutionem contractus, velut: *Res inempta esto*; secus enim, si verba adhibeantur obliqua, resolutionem contractus non nisi interveniente facto hominis importantia, velut: *Liceat fundum repetere*, non ipso jure resolvetur venditio, sed primum interventu judicis, *L. 3. C. de Pact. int. Empt. 2^o*. Ut, habito resolutionis casu, continuo declareret venditor, velutne rem inemptam, an nihilominus stare contractu, *t. t. de Pact. Leg. Commiss.* Quod si tamen nullum esset solutioni præfixum tempus, venditio non committitur, nisi ante emptor per judicem constituantur in mora faciendæ solutionis, arg. *L. 32. ff. de usur. et fruct.*

§45. Dico II. Licate etiam per se loquendo adjicitur pactum *addictionis in diem*, sive quo convenitur, ut venditori liceat rem alteri *addicere*, hoc est, vendere, si intra certum tempus aliis meliorem conditionem, id est, vel majus pretium obtulerit, vel solutionem celeriorem; vel remittat onera ab emptore primo imposita; adeoque, dato casu, respectu emptoris primi inempta sit.

Prob. Nam constat ex *tot. tit. ff. de Addict. in diem*. Etsi autem, dum res inempta sit per pactum hoc, una cum re restituuntur debent fructus formaliter extantes per *L. 6. et 16. ff. de Addict. in diem*; probabilius tamen non tenetur restituere fructus consumptos, etsi virtualiter extantes, sitque ex iisdem factus locupletior; tum per *L. 1. §. 4. ff. eod.* ubi emptor talis fructus et accessiones *lucrari* dicitur; tum quia fuit possessor bonæ fidei, et rei dominus, etsi revocabiliter. Dixi tamen *per se loquendo*; necesse est enim, ut emptor novus sincere, et non simulato tantum meliorem conditionem offerat. *L. 7. 9. ff. eod.*

Nec obstat 1^o. quod *L. 6. et 16. cit.* non distinguant inter fructus, ac proinde fructus omnes, nec tantum formaliter extantes videantur debere restituui, nam

R. Etsi haec leges non excipiunt fructus consumptos, ac virtualiter extantes; excipiunt tamen eos *L. 2. cit.* dum inquit emptorem fructus *lucrari*, Vid. argumentum ex verbo *lucrari* desumptum quoad hos fructus *num. 203.* sicut in data responsione optime conciliantur leges.

Nec obstat 2^o. quod, si venditio resolvatur ob pactum legis commissoriæ, restituui debent ab emptore fructus omnes, etiam consumpti; nam

R. Lata est disparitas; dum enim per pactum legis commissoriæ resolvitur venditio, emptor est in mora culpabilis; simul habuit pretium una cum re sibi vendita; ideoque nullam habet sibi faventem legem: aliter se res habet in casu altero; in hoc emptor sine culpa est; venditor interea pretium habuit, ejusque emolumenntum; hinc emptori hic assistunt leges antecitatæ.

§46. Dico III. Per se etiam licitum est pactum de retrovendendo, vel redimendo, quo scilicet convenitur, ut emptor, ejusve haeredes, possit aut debeat rem emptam revendere venditori: vel ut soli emptori liceat revendere; vel venditori soli liceat redimere; vel ut permissum utriusque sit, emptori revendere, venditori redimere; sive dein certum præfigatur tempus, sive incertum.

Constat ex *c. 10. de fid. Instrum. Extrav. 1. et 2. inter Commun. h. t. L. 2. C. de Pact. int. Empt.* Dixi iterum *per se*; ne enim laeditur aequalitas, debet in venditione prima minui, vel augeri pretium pro ratione onoris, quod alteri contrahentium imponitur ex pacto retrovendendi. Unde si pactum adjiciatur in solius venditoris gratiam, ut huic soli liceat, quando voluerit, redimere, non vero emptori pari libertate revendere, debet minui pretium; contra augeri, si in solius gratiam emptoris adjiciatur, ut huic pro libitu soli revendere liceat, non sic venditori redimere; in priore enim casu emptori, in altero venditori non leve imponitur onus, pretio estimabile, quod proin compensari debet, ne in contractu laeditur aequalitas, ita jubente justitia commutativa. Præterea pretium esse justum debet in revenditione, vel eo scilicet, quo valet tempore revenditionis; vel, si ita convenit, eodem, quo res primo vendita, ut ita evitetur iniquitas et usura palliata.

Porro emptor, dum vi pacti retrovendit, nullos probabilius fructus, ne quidem extantes formaliter, exceptis solis pendentibus et immaturis, cum re restituit; quin pendentes cum venditore dividit, arg. *L. 6. C. de Pact. int. Emp. et Vendit.* cum res fructificet domino suo, dominus vero rei interea antequam revenderetur, emptor fuit per *L. 4. C. eod.* Estque quoad hoc inter pactum de retrovendendo, tum inter duo priora, *legis commissoriæ et addictionis in diem* disparitas, quod, in his duobus posterioribus venditionis resolutio fiat sic, ut retrotrahatur ad tempus vel intermedium, vel primum, quo facta venditio prima; cum nec leges fructuum omnium irrevocabile concesserint dominium. In priore vero casu resolutio venditionis non aequa retrotrahitur; sed fit per *venditionem novam*: nec leges revocabile solum huic emptori tribuunt dominium, sed generaliter et absolute; ac merito, poscente ita aequitate; cum enim primus venditor interea percepit omne pretii emolumenntum irrevocabiliter; aequum sane est, ut et emptor primus sic fructus interim percipiat. Adde, quod in hac sententia usuræ palliatæ præcludatur aditus.

Nec obstat, quod in *c. 5. h. t. et c. 4. de pignorib.* reprobetur emptio venditio celebrata cum pacto de retrovendendo; non enim ibi reprobatur pactum de retrovendendo simpliciter, sed quod interveniret, ut facile hac in materia contingit, si res non sincere geratur, usura palliata; cum emptor

ibi fructus caperet ex re data pignori, nec vere vendita, sed solum ficte et simulate.

547. *Dico IV.* Jus retractus (alias dictum prothymiseos) est jus prælationis, quo quis præfertur emptori alteri. Est duplex, jus retractus legalis, et gentilitii. Prius sic dicitur, quia de jure communi civili quibusdam conceditur; alterum, quia proximo consanguineo competit contra emporem extraneum in re immobili vendita a suo consanguineo. Fundatur hoc jus partim in jure canonico, c. 8. de *in integr.* Restit. partim constitutione FRIDERICI imperatoris, 5. Feud. 13. partim ratione, ut res majorum in familia ad hujus splendorem permaneant, ac quia per se triste est avitas domos ad extraneos devolvi, arg. L. 38. ff. de R. V. et L. 22. C. de Administr. Tut.

Ut tamen jus retractus effectum sortiatur, atque exerceatur legitime, requiritur 1^o. ut retractio fiat intra annum utilem, sive annum et diem a die factae et cognitæ alienationis, arg. c. 8. de *in integr.* Restit. 2. Feud. 9. ubi: *Annali silentio, ex quo sciverit, computando.* 2^o. Ut retrahens suo retrahat nomine; quia jus retractus est personale, concessum in personæ favorem. Unde neque gaudens hoc jure istud in alium transferre potest. 3^o. Ut retrahens tantum persolvat venditori pretium, quantum, infra justi limites, emptor obtulit; nec enim privilegium hoc vergere sine causa in venditoris præjudicium debet. 4^o. Ut simul compenset expensas necessarias et utiles, quas forte jam bona fidei emptor et possessor in re empta fecit. TIRQUAELL. Tr. de Jur. Retract.

ARTICULUS III.

AN LICITA SIT EMPTIO CENSUS?

548. *Præmitto I.* Census sumptus formaliter (nam objective est ipsa illa res, quæ percipitur) est jus pensionem annuam ex re, vel persona alterius percipiendi. Qui jus percipiendi habet, *censualista*, sive creditor; qui vero obligationem solvendi pensionem, *censarius*, vel debitor appellatur; id vero, in quo fundatur jus, sive unde pensio capititur, res *censitia*, vel *censualis*, ut ager.

II. Potest variis modis census constitui, ex quibus maxime usitati sunt sequentes: scilicet legato, donatione, transactione, condemnatione, emptione; unde quinque sunt celebriores census species: legatarius, donatarius, transactitius, pœnalis, emptitius; ex quibus postremus solum cum cadere in suspicionem injustitiae posset, hujus est loci. Emptio venditio, qua constituitur, contractus *censualis* dicitur, ac definitur: *conventio*, qua jus percipiendi redditus annuos, ex re, vel industria personæ provenientes vendit, emitur.

III. In genere alius est *reservativus*; alius *consignativus*. Prior est, quando dominium rei plenum transfertur in censuarium, reservata solum pensione ex fructibus rei date, vel quantitate pecuniaria quotannis solvenda, L. fin. C. de Rer. perm. Licitum esse hunc censem nemo ambigit; ac constat ex facto JOSEPHI Gen. 47. dum prædia Ægyptiorum per frumenti permutationem

Pharaoni acquisita iis pleno jure restituit, reservata solum pensione annua. Alter est, quando, referto rei dominio, dominus alteri, uno ex dictis ante modis, consignat, vel constituit jus percipiendi pensionem annuam sive fructuarium, sive pecuniariam.

IV. Census *emptitius* dividitur 1^o. in realem et personalem. *Realis* est, qui in certa aliqua re frugifera constituitur, ut vinea, agro, etc. unde solvi debet pensio, quemcumque res habeat possessorem; quia, cum haec obligatio solvendi inhæreat rei, hæc semper cum re ad possessorem transit, instar servitutis, donec fuerit redempta. *Personalis* est, qui constituitur in persona certa, quæ obligatur ad solvendam pensionem annuam, ex industria, arte, opificio, non designatis una vel pluribus rebus certis, ex quibus præstanda sit pensio, licet aliquando in securitatem solvendi debiti in re aliqua certa creditori constitutuar hypotheca.

2^o. In redimibilem, et irredimibilem. *Redimibilis* est, qui redimi ex pacto convento potest, quod fieri potest tripliciter: nempe vel ex parte solius debitoris, si huic liceat, restituto pretio, se liberare ab obligatione solvendi porro census; vel ex parte solius creditoris, si iste possit pro libitu, resignato censu, repeteret pretium; vel ex parte utriusque, si tam debitor pro libitu, restituto pretio, se liberare, quam vicissim creditor resignare censem, et repeteret pretium; plane sicut Art. præc. dictum de pacto retrovendendi. *Irredimibilis*, qui nec debitore restituentे pretium, nec creditore id sibi restitui petente, invito altero tolli potest; licet utroque consentiente tolli semper possit.

3^o. In *perpetuum* qui nullum habet præfixum terminum temporis; unde in eo et jus percipiendi pensionem, et obligatio eam solvendi transit ad hæres utriusque partis; *temporalem*, qui lapsu temporis conventi absolvitur; *vitalitum*, qui ad tempus vitæ censualistæ sive creditoris constitutus; *pecuniarium*, qui numerata pecunia; *fructuarium*, qui est solvendus in fructibus.

549. *Dico.* Licta est emptio census non tantum realis consignativi, sed etiam, per se loquendo, personalis; idque verum est non solum de censu redimibili, sed et irredimibili: modo videlicet pretium sit justum, vel juxta consuetudinem, aut legem, ut in Germania 5. pro 100.; vel deficiente lege juxta prudentem aestimationem.

Pars 1^a. satis clare expressa atque approbata habetur *Extrav. de Empt. Vend. inter Comm. 1. et 2.* Item jure civili, L. 8. §. 2. ff. de *peric. rei Vend.* ubi ususfructus sive jus percipiendi fructus ex prædio alieno dicitur emi posse; sed census realis est pars ususfructus. Nec refert fructarius sit census, de quo per se non est dubium; an pecuniarius? quia pensio fructaria et pecuniaria in valore æquales sunt, cum pecunia omnium rerum aestimationem recipiat; ergo si licet fructaria, etiam pecuniaria licebit.

Pars 2^a. inde probatur; quia potest emi jus ex dictis ad fructus naturales; ergo etiam ad industrielles et mixtos. Deinde potest, ac solet a magistratu constitui et imponi personæ obligatio solvendi tributum ex arte, opificio, industria personæ; ergo et talis obligatio vendi poterit. Dixi tamen: *per se loquendo*; supposito scilicet, quod persona sit ejusmodi, quæ vel arte, vel opificio, vel alia industria possit lucrum facere; secus enim emptio census

personalis esset fictitia, ac committeretur usura palliata. Quod idem de censu reali dixeris, si debitor nullam haberet rem fructiferam.

Pars 3^a. probatur æque facile 1^o. quoad censem redimibilem; quia licet venditionibus aliis adjungere pactum de redimento vel pro libitu vendoris, vel emptoris, vel utriusque; modo servetur aequalitas, augeatur, vel minuantur pretium pro ratione oneris, alteri contrahentium impositi, ut dictum Art. præc. cur ergo non in hac venditione? Deinde quoad irredimibilem patet ex paritate de usufructu; si enim licitum est usumfructum totalem alicujus prædii emere vendere, sic, ut neutri parti, altera invita, liceat redimere, ut constat ex L. 23. ff. et c. 83. in 6. de R. J. licebit etiam sic emere et vendere censem, qui est pars usufructus; quod juris enim est in toto quoad totum, est quoque de parte quoad partem.

550. *Obj. I.* In contractu censuali intervenit mutuum virtuale, et proinde usura palliata; ergo. *Prob. Ant.* Quia si censarius velit redimere censem, debet reddere pecuniam ejusdem quantitatis, sicut qui mutuum accepit, et præterea singulis annis, usque dum redimat, aliquid solvere.

II. In emptione census plus accipitur, quam datum sit; ergo committitur injustitia. *Prob. Ant.* Empto censu 3. aureorum in singulos annos pro 100. post lapsus 20. annorum accipit totam summam capitalem, et post 40. annos duplum, et insuper totam recipit summam capitalem a venditione, si hic vellet censem redimere.

III. Emptio census redimibilis ex utraque parte rejicitur et prohibetur a Pio V. *Extrav. et Constit.* *Cum onus.* In specie in Germania prohibetur a CAROLO V. in *Reform. Polit.* in Comitiis Augustanis anno 1548. solum permittente, ut jus redimendi tantum penes venditorem esse possit. Idem statuit RUDOLPHUS II. in *Ordin. Polit.* Francofurti anno 1577. tit. 19.

IV. Proprius et primarius pecuniae usus est, ut per eam res cæteræ aestimentur; non vero ut ea sit sui ipsius aestimatio: sed hoc contingere videtur in emptione census pecuniarii; ergo hic saltem illicitus est.

V. Leges civiles prohibent, ne homo detur in pignus: sed per censem personalem homo videtur ponи in conditione etiam deteriore; cum jus censu sit majus jure pignoris; ergo non licebit emptio census personalis.

Ad 1^{um}. *R. N. Ant.* Nam 1^o. substantia contractus censualis aut rem, aut personam fructiferam exigit, ex cuius fructibus census emitur; sed hoc non curatur in mutuo. 2^o. Substantiale est mutuo, ut vi contractus mutui detur obligatio ad summam capitalem restituendam totam, præcise scilicet ideo, quia mutuo accepta fuit; nec ante in mutuo habetur aequalitas; at hæc habetur in contractu censuali per obligationem præcise præstandi censem annum: ut vero vel vendor restituat pretium, vel emptor jus ad censem revendat, non provenit ex vi contractus censualis primum initi, et ob acceptas pecunias; sed potius requiritur contractus novus revenditionis et reemptionis, ad quem per speciale pactum se obligare possunt. Proinde dum redimitur census, redditur pecunia, et non ad inducendam aequalitatem contractus censualis primum initi, sed loco pretii pro re, quæ iterum venditur. 3^o. Licet per revenditionem restituatur tota summa, sicut restituitur in mutuo; non tamen præterea contractus censualis dici potest flecti in mutuum, cum adhuc longe dispar utriusque effectus sit; in mutuo enim si

pereat pignus sine creditoris culpa, nihilominus obligatus permanet mutuarius ad restituendum mutuum, ut satisfiat obligationi in mutuo contracta; at in contractu censuali, quia ad restitutionem pretii novus requiritur contractus, ac consequenter etiam merx reemenda, sequitur, cessare obligationem reddendi pretium, si res, aut persona censititia pereat; quia census sine re frugifera esse nequit. Unde si nihil est, quod retrovendatur, sine culpa creditoris, extinguitur etiam reemendi, et retrovendendi obligatio.

Ad 2^{um}. *R. N. Ant. Prob. D.* Accipit totam summam capitalem vi contractus censualis N. vi empti juris ad percipiendam pensionem, vel censem C. In contractu censuali non emuntur pensiones ipsæ in se successive percipiendas, sed jus ad illas; jus autem hoc ad pensiones singulas suo tempore percipiendas in estimatione morali æquiparatur summæ capitali, quæ datur. Sic in emptione prædii et cujuscumque rei fructiferæ accidit, cuius redditus post lapsus 20. annorum adæquant summam capitalem emptoris, et post 40. annos habetur duplum, et simul habetur prædiū; nec tamen ulla hic injustitia intervenit. Ac ratio est, quod universum in emptione rerum fructiferarum non emantur fructus successive percipiendi in se ipsis, sed jus ad illos, quod jus non tanti aestimatur, quanti omnes fructus simul collecti; sed quia remotis temporibus primum percipiendi, tantum in spe sunt, eventibus incertis, periculis, laboribus, expensis subjecti; non possunt ita aestimari, ac si jam omnes simul præsentes percipiendi essent. Quod vero, soluto contractu, ac jure, dum census redimitur, reddi debeat pretium pro hoc jure datum, mirum esse non debet; quia tanti hoc jus valet, quando retrovenditur, quanti valebat, dum emebatur. Hinc retorquetur argumentum in quavis emptione venditione cum pacto de retrovendendo.

Ad 3^{um}. *R. D. Ant.* Rejicitur tanquam ex natura sua usuraria N. propter periculum usurarie intentionis C. Unde ait PIUS V. si quis sub alia forma, quam ipse præscribat, contractus censuales celebraverit, contra eum tanquam de usuræ labore suspectum, eaque ex præsumptione agendum esse. Sed nec constitutio PIU V. est recepta in Germania, nec ubique; imo nec Romæ amplius viget, testibus LESSIO et HAUNOLDO. Pariter constitutioni CAROLI V. et RUDOLPHI II. contrario usu in plerisque provinciis derogatum est.

Ad 4^{um}. *R. N. min.* Nam pecunia non est hic aestimatio sui ipsius, nec datur pecunia pro pecunia; sed est aestimatio juris et datur pecunia pro jure ad pensionem pecuniariam, sive dum venditur, et emitur primo, sive dum retrovenditur.

Ad 5^{um}. *R. D.* Ne detur in pignus proprie, id est sic, ut, deficiente solutione, possit creditor illum usurpare ut servum C. ne detur in pignus improprie, id est, ne se obliget ad certam pensionem præstandam ex sua industria, arte, negotiatione, etc. N. Si enim hæc ipsi imponi possit a magistratu, cur non poterit ipse se ad eamdem præstandam alteri obligare?

ARTICULUS IV.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE, ITEM MANDATO.

531. *Dico I.* Locatio conductio est contractus consensualis, bona fidei, quo usus rei, vel opera personae alteri pro certa mercede conceditur, *Princ. Inst. et §. 1. h. t. L. 14. 22. ff. Locat. Conduct.* Hinc tria haec ad hujus essentiam contractus requiruntur, et sufficiunt: 1º. Consensus mutuus, non vero actualis traditio. 2º. Res utenda, vel praestanda opera. 3º. Locarium, sive merces. Universim vero locatio conductio est *rерum*, quando rei usus; vel *operarum*, dum operae illiberales praestantur; vel *operis* faciendi, dum opus conficitur pro certa mercede.

In *locatione rerum* is locator dicitur, qui rem utendam, vel fruendam cedit; conductor vero, qui accipit. In *locatione operarum* is, qui promittit vel praestat alteri operam pro mercede in ordine ad conficiendum opus, diverso sensu idem locator est et conductor; locator respectu operae, conductor respectu operis: e contra qui operam postulat, ac dat mercedem, conductor est operae, e locator operis, *L. 22. cit. §. 2.* Ac universim, qui recipit mercedem pro usu rei sue, vel opera sua, locator dicitur; qui vero mercedem dat, conductor; qui tamen subinde alia in specie nomina in jure sortitur; qui enim agros conductit, *colonus*; qui aedes, *inquilinus*, *L. 37. ff. de acquir. poss.*; qui vectigalia, *publicanus* appellatur, *L. 16. ff. de V. S.*

Dixi vero: quo *usus rei*, vel *opera pro certa mercede* conceditur, hinc elucet 1º. magna hujus contractus cum emptione venditione similitudo; quin iisdem ferme legibus, quibus emptio venditio, regulatur, *pr. Inst. h. t.* Differt tamen locatio ab emptione maxime, quod in locatione res non in perpetuum, sed ad certum plerumque tempus pro mercede praestetur. 2º. Hinc et utriusque locatoris et conductoris obligatio deducitur.

Conductoris quidem obligatio est 1º. solvere mercedem conventam totam; quin, si in mora sit culpabili, cum usuris. 2º. Non deserere rem conductam ante finitum conductionis tempus, sine justa causa. 3º. Ut re conducta non ad alium usum, quam qui convenitus. 4º. Damnum ferre, si res conducta ejus culpa lata, vel levi pereat, aut deterioretur, velut si inquilini culpa, ejusve domesticorum contractae fenestræ, fornaces, seræ, etc. Communis auctorum per §. 5. *Inst. L. 9. 11. 13. 25. ac seqq. ff. h. t.*

Locator rerum tenetur 1º. dare liberum rei locatae usum. 2º. Compensare expensas in rem locatam factas; ac quidem necessarias per se; utiles, si eas conductor cum locatoris scitu fecerit. 3º. Compensare damna conductori illata ex rei locate vito, quod sciebat; imo si locavit dolia vitiosa, licet ignoranter, ex speciali dispositione juris, *L. 19. §. 1. ff. h. t.* quia lex in hoc casu presumit ignorantiam culpabilem. Constant haec ex *L. 9. 13. 15. 19. etc. ff. h. t.* Sed et 4º. nequit expellere conductorem, nisi ob mercedem biennio non solutam, *L. 54. 56. ff. h. t.* vel ob malum rei usum, *L. 3. C. h. t.* vel ob necessariam reparationem, vel usum ipsi domino necessarium, *ibid.* Unde infertur, quod etiam, re vendita, eum expellere possit, juxta vulgatum illud Germanorum: *Kauff gehet vor Miethe.* 5º. Regulariter tene-

tur remittere mercedem vel totam, vel partem, si conductor sine sua culpa, sed vel injurya tempestatis, vel alio casu fortuito notabile passus damnum, *c. 3. h. t. L. 15. et 23. §. ff. eod.* Ac ratio est; quia pensio in locatio rei frugiferæ ad compensandos fructus percipiendos constituitur; ergo vel nulla, vel modica debet exigi pensio, si nulli, vel modici possint fructus percipi. Dixi tamen: *regulariter*; excipi enim debet 1. si aliter fuisset conventum. 2. Si damnum sit modicum, *L. 25. ff. h. t. 3.* Si damnum compensetur per precedentium, vel sequentium annorum fertilitatem. 4. Si jam collecti fuissent fructus, et postea periissent casu, ut incendio.

Locator opere tenetur 1º. remittere mercedem, si sua culpa non praestitit, quod promisit, *L. 15. §. 6. ff. h. t. 2º.* Non recedere sine justa causa ex servitio ante finitum tempus; uti et conductor sine causa ex eodem nequit ante terminum expellere. 4º. Compensare damna ex immaturo discessu orta domino; id enim poscit justitia, ac *arg. L. 1. C. de serv. fugit.* Unde non peccant solum famuli, ancillæ, etc. sic discedentes, sed et tenentur ad compensanda damna inde profecta.

532. *Dico II.* Mandatum est contractus consensualis, bona fidei, quo negotium honestum, ab alio ex fiducia committitur et gratis administrandum gerendumque suscipitur, *L. 4. ff. h. t.* Mandatum nomen a *manus datione* traxit, ait *ISIDORUS L. 4. cap. 4. Orig.* Olim mandatum officio atque amicitia aestimabatur; postea actionem ex mandato Romani dederunt.

Dictum vero 1º. negotium *honestum*; res enim prohibite et illicitæ mandari non possunt, neque ulla ex ejusmodi mandatis nascitur obligatio, *§. 7. Inst. L. 6. 22. ff. h. t.*

2º. *Ex fiducia*, eo quod mandans in mandatarii persona singularem ponat fiduciam. Hinc et mandatarii obligatio intelligitur: 1. ob hanc fiduciam nequit ordinarie substituere alium; quod tamen si fecisset, ac rem æque feliciter gessisset per alium, mandans ex gestis obligatur, *L. 8. 46. ff. h. t.* 2. Tenetur ad culpam etiam levissimam, *L. 13. ff. eod.* 3. Ob dolum et culpam latam notatur infamia, *L. 1. 6. ff. de his, qui not. infam.* 4. Fines mandati nequit excedere, *L. 5. ff. §. 8. Inst. h. t.* nec mandans mandatarii excedentis facto tenetur.

3º. *Committitur et gratis suscipitur.* Per primum differt a negotiorum gestione, quæ quasi contractus est, in eo sita, quod quis negotium non commissum ultra suspiciat. Per alterum, quod *gratis* suscipiat, contractus gratuitus esse intelligitur, ac differre a locatione. Hinc etiam a *jussu* distinguitur, quo potestati nostræ subditi stricte obligantur, quin illi, quod jubentur, libere suscipiant.

ARTICULUS V.

QUID CONTRACTUS SOCIETATIS? QUÆ PACTA ILLI ADJICI POSSINT, SIVE AN CONTRACTUS, DICTUS VULGO TRINUS, LICITUS ET HONESTUS SIT?

De honestate atque utilitate contractus societatis nemo dubitat; ut ejus tantum hic jura exponenda sint. Solet vero non raro contractui societatis adjici conventionis, qua conferens pecuniam in societatem, cum cæteris sociis